

exercere poterat, quæ mandato, sive litteris Vicariatus, non continebatur: agnovissent præterea in dicto can. 10. & 3., subjectam tum fuisse Brittonum Provinciam variis controversiis, quibus pendebantibus non satis de finibus diocæseos, & de Metropolitæ persona apertè constabat. Eam ob rem Romanus Antistes potius ex quadam prudentia, & rerum gerendarum æconomia, quam ex juris disciplina rescripsit. Non opus est, hoc in loco ea temporum, & locorum adjuncta latè describere, quæ jam exhibui in meis animadversionibus in codicem Gratiani. Quid autem mirum, si in iis adjunctis ad Apostolicam Sedem negotia ejus generis referenda dicerentur? Itaque septem prioribus sæculis constans fuit Provincialium Synodorum auctoritas, in quibus & damnari, & de juri Episcopi poterant, dummodò concors fuisset convenientium Antistitum sententia, can. 1. & 6. caus. 6. quæst. 4., cap. 3. de sentent. & re judic. ubi enim in diversas partes dividerentur suffragia, de vicina Provincia alter Metropolitanus, seu Primas accitus controversiam dirimebat, can. 2. & 3. caus. 6. quæst. 4. cui jungi potest argumentum capituli 13. de rescriptis. Isidorus Mercator de more suo novam in vexit disciplinam, passim tradens, Episcopos quidem provinciales causas Episcoporum posse discutere, accusationes recipere, exceptiones admittere, nunquam tamen pronuntiare sententiam, sed hanc à Sede Apostolica expectari oportere, can. 5. caus. 2. quæst. 1., can. 5. 6. 7. 9. & 11. caus. 3. quæst. 6. His decretalibus sensim eò devenit, ut judicia criminalia Episcoporum deinde referrentur omnino ad Apostolicam Sedem, quod jam Gregorii IV. temporibus viguisse, liquet ex can. 2. dist. 12., quod tandem abiit in ordinariam disciplinam cap. 2. de transl. Episc., cap. 16. de hæret. in 6.

Hodierna disciplina apertè edita, ac stabilita deprehenditur in Concilio Tridentino cap. 6. 7. 8. de Reform. sess. 13. & cap. 5. de Reform. sess. 24. In cap. 6. cautum fuit, nunquam citandum esse Episcopum, vel monendum, ut personaliter compareat, etiam si ex officio, aut per inquisitionem seu denuntiationem, vel accusationem, sive alio quovis modo procedatur, nisi ob causam, ex qua deponendus, sive privandus officio suo veniret; etenim ob leviores causas æquum non est, Episcopum cogi, ut diocæsim derelinquat, & non sine episcopalis honoris diminutione vagetur. In cap. 7. designandæ fuerunt qualitates testium in criminalibus Episcoporum causis admittendorum; debent enim illi testes esse, bonæ conversationis, existimationis, & famæ, facta facultate iudicibus, gravibus penis esse muleandi, si odio, temeritate, aut cupiditate aliquid deposuerint. In cap. 8. decretum, ut causæ Episcoporum, cum pro criminis objecti qualitate comparere Episcopi debeant, ad Pontificem Maximum referantur, ac per ipsum terminentur; quod ipsum renovatum fuit in dicto cap. 5., ubi aditum est, si hujusmodi sit causa quæ necessario extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsus eam committi, nisi Metropolitanis, aut Episcopis à Pontifice Maximo eligendis, quæ commissio & specialis sit, & manu ipsius Pontificis Maximi signata, nec unquam delegatis plus tribuatur, quam ut solam facti instructionem sumant, processumqueificent, quem statim ad Romanum Antistitem transmittant, reservata illi sententia definitiva. Denique concluditur, minores criminales causas Episcoporum in Concilio tantum Provinciali cognosci, & terminari debere, vel à deputandis per Provinciale Concilium, utpotè quod Concilii nomine & cognoscere, & sententiam dicere intelliguntur.

DIS-

DISSERTATIO QUINTA DE CRIMINIBUS UNICUIQUE SIVE IN CLERO, SIVE EXTRA CLERUM CONSTITUTO COMMUNIBUS.



UÆ, & quanta sub hoc thēmate sese objiciunt discutienda, nemo non videt. Quoniam verò multa ex istis ad civilis, aut publici juris Interpretes pertinent, multa forum Ecclesiæ internum, seu penitentiale respiciunt, contentus ero pauca quædam adnotare, quæ in externa Ec-

clesiæ disciplina consistunt, de criminibus homicidii, falsi, furti, damnæ injuria dati, ac denique usurarum, consultiō omittens quæ de adulterio, & damnatis ejus generis conjunctionibus discerere hujus esset instituti, quod de iis aliàs, tanquam in opportuno loco, abundè dixerim, quum conjugiorum ritè celebrandorum jura persequeretur.

CAPUT I.

De pœna adversus homicidas canonibus præstituta.

Hæc referendi sunt tituli 12. 13. & 15. lib. 5.

Charitas illa, quæ homines universos invicem ex ipso naturali jure veluti nexu devincit, unumquemque in officio ita continere debet, ne privata auctoritate alterius vitæ officiat, nedum insidietur, adeo ut ne propriam Pontificis animam quacumque de causa in discrimen adducat, etiam si de tuendo honore, malove evitando ageretur. Hanc rem pertractans Augustinus in lib. 1. de Civitate Dei cap. 18. & 19., unde de prompti sunt canones 3. 4. & 5. caus. 32. quæst. 5., ait, ne apud ipsas quidem gentes cæteroqui feras & immanes probari potuisse plus æquo religiosos homines, qui juxta Virgilianos versus sibi lethum insontes peperere manum, lucemque perosi projecere animas, & quibus ad suprema redire cupientibus fata obstant, tristisque palus immanis unda alligat; & concludit: Neque

enim frustra in sanctis canonicis libris nusquam nobis divinitus præceptum, permissumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendo immortalitatis, vel nullius cavendi, cavendique mali causa nobismetipsos necem inferamus. Quibus inhæres vestigiis Clemens III. in cap. 11. de sepult. ideo voluit non denegandam sepulturam ecclesiasticam puellæ, utut ex causa honestissima fugienti, quia non spontè, sed casu quodam in flumen præcepit lapsa fuisset. Fortè negotium facessere potest Hieronymi auctoritas in can. 11. caus. 23. quæst. 5. scribentis, ne in persecutionibus quidem licere propria perire manu, absque eo ubi caritas periculatur. Siquidem observo in primis, Hieronymum hanc adjectisse exceptionem, non quidem ut eam probaret, sed ut insinuarè, posse id obnoxium esse disputationibus, quibus involvere se recu-

Y 2

52-

sabat, ne à suscepto proposito longè aberraret, quasi dixisset: excepta ea specie, in qua castitas in periculum adduceretur, de qua disceptatio in utramque partem tunc temporis fiebat, certum esse, & inconcussum in cæteris causis, neminem posse semetipsum occidere. Reverà S. Augustinus, qui tempore Hieronymi vivebat, ex professo eam disputationem suscepit, & laudatis in locis perspicuè diremit. Ex quo observari præterea potest, etiam si Hieronymus in contrariam opinionem abiisset, agnoscere statim varias in partes distractos fuisse Hieronymum, & Augustinum, in conflictu autem opinionum tantorum virorum licere potius Augustinum, quam Hieronymum sequi; imò & Augustini sententiam Hieronymianam longè præferendam esse, sive quod Augustinus ex professo eam questionem tractandam suscepit, Hieronymus occasione data tantum quædam ad controversiam spectantia adjecit, sive quòd Pontificiis rescriptis, præsertim laudati Clementis III., videtur probata Augustini opinio in Ecclesia, rejecta Hieronymiana. Non ergo homicidii notam evadit, qui semetipsum quacumque de causa occidat. Quòd si quis in necem alterius conspiret, non aliàs excusatur, quam si, aut reipublicæ salutis illi vi publicæ potestatis commissa, aut propria vitæ defensione cum moderamine, ut ajunt nostri, inculpate tutelæ aliàs curari non possit; illi enim in his causarum adjunctis non dicitur hominem interficere velle censetur, sed tranquillitatem publicam, aut privatam sui, vitam tuèri, can. 13. & 14. caus. 23. quæst. 5., cap. 18. de homicid., Clement. un. eod. tit. Quando verò homicidia pœnis publicis ex Magistratum sententia coercerentur, sacri canones vigilantæ prudentiæque Antistitum mandarunt, ut ipsi in homicidis pro criminis adjunctis salutare, & quidem graves pœnitentias indicerent, cap. 2. de homicid. Generaliter præterea indixerunt, ut in omni forè homi-

cidii genere irregularitatis nota reus homicidii inuratur. Qua de pœna opportunius erit sub finem tractationis agere, quum fuisset de irregularitate sermo erit instituendus.

Apud Romanos æthnicos olim in usu erant ludi gladiatorii, sive in Pancratio, quod fiebat cursu etiam, disco, & saltu, sive in pugillatu, quod fiebat telis, seu pugionibus, sive in collectatione, qua pugnis contendeatur, agitati in quibus ne actione quidem legis aquiliæ tenebatur, quicumque alium occidisset, quasi opus esset tunc Romane juventæ virtutem privatis certaminibus assuescere, ut alacrior in hostes evaderet, l. 7. §. 4. ff. ad leg. aquil. Verum statim ac Imperium tenuerunt Christiani Principes, ab usu ea disciplina recessit jubente Constantino Magno in l. un. cod. de gladiatoribus pœnitentia tollendis, quæ cum eodem anno edita sit, quo absolutum fuit Nicænum Concilium, non immerito conjuncti viri eruditi, suasionem Nicænorum Antistitum lubricatam fuisse, & promulgatam. Recentioribus sæculis ex Longobardorum usibus cum ecclesiasticorum virorum merore monomachia recipi visa est, etiam in judiciis, seu, uti appellabant, *malis publicis*, in quibus accusator adversus reum, testes adversus testes decertarent, quasi qui victor existeret, meliorem habere causam existimaretur. Improbavit illam Nicolaus I. in can. 22. caus. 2. quæst. 5., & post eum Concilia numero plurima, & Pontifices Maximi apud Christianos Principes sæpè numero intercedentes, ut privata ista certamina pœnitentia abolerentur, cap. 1. de torneamentis; nec defuit in hac parte sollicitudo Tridentinorum Antistitum, quorum constitutio perspicua est, in cap. 19. sess. 25. de Ref., ubi inter cætera decernitur, eos, qui pugnam commiserint, & eos, qui pugnantium Patrini vocantur, excommunicationis pœnam incurere, & velut homicidas justa sacros canones puniri debere, & si ip. ipso confectu

decesserint, perpetuò carere ecclesiastica sepultura; imò & eos, qui consilium in causa dueli tam in jure, quàm facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, neenon spec-

ratores, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneri, non obstante quocumque privilegio, seu prava consuetudine etiam immemorabili,

CAPUT II.

De crimine falsi, & ejus pœna juxta canonum disciplinam.

Huc referendus est titulus 20. libri 5.

NON hinc sermo est de singulari specie falsi admessa à Sacerdotibus Parochis, de qua mentio fit in extrav. 11. de privileg. int. com. vers. *Sed videat*, nimirum cum Parochi denegant Sacramenta publicè petentibus, per calumniam affirmantes, petentes illos esse publicos peccatores, aut excommunicatione innodatos, quibus propterea absolutio denegatur, quousque plenè non satisfecerint, præterquam in mortis articulo; nec sermo est de falsitate à testibus in judicio prodita, præsertim ubi jurandum testium eorundem accesserit; de hac enim re nonnulla jam superius dicta fuerunt, & perspicua est publicorum judiciorum disciplina religiosorum Principum constitutionibus comprobata; sed potius de ea falsi specie loquor, quam quis admittit, dum aut circumveniendo Pontificis Maximi animum, aut fingendo obtenta privilegia, quæ reverà non obtinuit, disciplinam ecclesiasticam turbare conatur, de qua re præcipuè agitur in Gregoriano titulo de crimine falsi.

Itaque qui litteras Apostolicas mentiuntur, excommunicationem ipso factò incurunt, si laici sint, si verò Clerici, ab officio, & beneficio deponuntur, can. 7. dist. 50., cap. 6. de excess. Prælat., cap. 27. §. ult. de verb. sign., cap. 4. & 7. de crim. falsi. Quibus indicis rescripti, vel privilegii falsitas agnoscatur, liquido exhibet Innocentius III.

in cap. 5. & 6. eod. tit., in cap. 6. de fide instrum., & Lucius III. in cap. 11. de rescriptis. Non tamen tanquam falsum rescriptum, aut privilegium habebitur, quod non fuerit quidem alicujus arte confectum, sed tantum in aliquibus litteris concisum, vel abrasum; eamque ob rem in hac specie concidens, vel abradens, extra ordinem coercendus est ex jure Decretalium, non pœna ordinariæ falsi damnandus, rescripto ipso, vel privilegio in ea parte, in qua nullum vitium inest, præsertim ubi juramentum nisi concisa, vel abrasa pars integram Pontificis Maximi sententiã everteret, cap. ult. de crimin. falsi. Quotiescumque verum falsi crimen admittitur, non est eadem ratio illius, qui falsum admisit, & illius, qui falsis litteris ab alio confectis utitur. Siquidem qui falsas litteras confecit, nunquam doli expertus est, proindeque ordinariis falsorum pœnis subicitur; at qui falsis litteris ab alio confectis utitur, modò invincibili ignorantia excusari, modò non nisi de culpa, seu negligentia redargui potest, quòd scilicet non satis investigaverit, an germanum esset monumentum, quo uteretur. Quamobrem Innocentius III. prudentissimè monitos voluit universos Pontificiis rescriptis usuros, ut non aliàs illis utantur, quam si primùm diligenter singula consideraverint, arbitrio judicis relinquens, ut pro negligentia modo pœ-

nas in utentes falsis rescriptis indicat, cap. 7. cod. tit.

Multo mitior est illorum poena, qui mentem Pontificis Maximi circumveniendo aut falsis exhibitis precibus, aut veritate suppressa, rescriptum, quo uterentur, obtinuerunt. Quamquam enim isti graviter delinquant, legibus tamen non alia poena plectuntur, quam ea, qua fiat, ut iure omni destituantur, quod ex rescripto aliàs ritè obtento nanciscerentur, cap. 2. & passim de rescriptis. Hæc sanè poena indiscriminatim locum habet, quotiescumque vel narrata falsitas, vel suppressa veritas fuerit ex dolo, nisi rescribens expressè profiteatur, velle se omnino, & quocumque posito rei eventum rescriptum executioni mandari, cap. 9. & 10. de rescript. in 6., cap. 23. de præbend. in 6., Clement. 4. cod. tit., propterea quod vim rescripti metimur potius ex voluntate rescribentis, quam adamussim sequi maximè decet, quidquid conatus fuerit in libello supplicii, qui rescriptum impetravit, eodem ferè modo, quo furtum minimè vocant Iureconsulti, quod consentiente domino etiam furtim & clam, imò & animo furis ab aliquo admissum fuerit, l. 46. §. 8. ff. de furtis, §. 8. instit. de obligat., quæ ex delict. nascunt. Cæterùm si ex ignoracione postulantis evenerit, ut vel enarretur falsitas, vel veritas reticeatur, observandum est, an plura capita rescriptum contineat, eaque ita disjuncta, ut unum ab altero minimè pendeat; an una tantùm sit rescribentis definitio; an denique multiplex quidem, sed ita, ut una ab altera pendeat. Si primum, valebit adhuc rescriptum in ea parte, in

qua nec obreptitium, nec subreptitium dici potest: si alterum, ad officium iudicis pertinebit investigare, ac definire ex formula rescripti, an idipsum rescripturus Pontifex Maximus fuisset, an minus, quotiescumque de rei veritate Pontifici constitisset, & quo casu definitur, Pontificem idipsum fuisse rescripturum, rescriptum ipsum executioni mandare: si postremum, investigandum erit, an in parte principali, an in ea, quæ à principali pendet, vitium subreptionis sit, aut obreptionis. Nimirum si vitium tantùm insit in parte, quæ pendet à principali, principale ipsam partem minimè vitiat, quantquam vitaretur altera pars, quæ à principali pendet, si vitium inesset in principali, cap. 20. de rescriptis. Illud verò venire in dubitationem minimè potest, nùm delegatus per rescriptum, quod obreptitium, aut subreptitium esse proponitur, possit de vitio rescripti cognoscere. Quamquam enim delegatus interea nequeat ad ulteriora devenire, nisi liqueat, rescriptum omni vitio carere, iure tamen poterit de rescripti viribus iudicare, quasi in hoc iudicio puram absolutamque sine ulla conditione à rescribente facultatem acceperit; ne aliàs fortè ob huiusmodi exceptiones, quæ contra obtinentes rescripta allegari solent, Summi Pontificis gratia irrita omnino reddatur. Cæterùm in proposito delegatus cognoscat juxta formulas juris communis, insuper habita singulari procedendi formula, si quæ fortè rescripto prastitueretur, juxta quam deberet institui causa & absolvi, dicto cap. 20. de rescriptis.

CA.

CAPUT III.

De modis, quibus aliquando in occultos fures, vel damnum injuria dantes Ecclesie animadvertit.

Huc referendi sunt tituli 18. & 36. lib. 5., & titulus 21. lib. 2.

OB grave damnum injuria illatum, ob res furto subreptas, ob debita non soluta, si de re gravi agatur, & publicè interesse videatur ad terrendos facinorosos homines, posse etiam excommunicari quemquam, quousque rem ablata restituit, vel damna resarciat, quom restituere, & resarcire valeat, nemo dubitare potest in conspectu capituli 3. de solution. capituli 2. de furtis, cap. 7. de iurejur., & cap. 21. de sent. excomm. Imò & incertas reorum personas sub pena excommunicationis, cui etiam ipso facto subjaceant, adigi posse ad res restituendas alienas, aut damna resarcienda generali proposito edicto, perspicuè constat ex can. 2. caus. 5. quasi 1. cap. 2. de offic. iud. ordin., extrav. tit. de furtis int. com. Quid verò, si incerta rei persona sit, quam tamen vel certi, vel incerti testes, ad quorum notitiam delictum pervenit, faciliè demonstrarent? Obtinuit, ut sub comminatione censurarum, qui facti notitiam habent, ad designandum reum, ubi causa gravis id postulet, adigi valeat, dammodo ex crimine civiliter, non criminaliter, nec ad poenam corporalem infligendam agendum dicto sit, cap. 6. caus. 14. quasi. 3. cap. 11. 21. & ult. de testib. cogend. cap. 20. de iurejur., cap. 41. de furtis, dicti extrav. un. cod. tit., extrav. 2. prope finem de simon. int. com. Hæc hodie *monitoria* Pragmatici appellunt, olim verò appellabant litteras *Paulinas* ex eo, quod temporibus Pauli III. frequentiore usu promulgarentur. Generaliter jam probaverat jus Romanum, ut quicumque res alienas à non domino accepisset, indicaret eum,

à quo acceperat, l. 5. cod. de furtis, quamquam enim dici nequeat fur, qui furem novit, & non revelat, sed tantùm qui furem novit, & celat, l. 48. §. 1. ff. de furtis; ubi tamen qui novit legitima iudicis auctoritate interrogatur, & non patfacit, quasi celans haberi potest; & tamque ob rem laudata monitoria non solum probaverunt modo memorata Pontificia constitutiones, sed etiam Concilium Tridentinum in sess. 25. de Ref. cap. 3. his verbis: *Excommunicationes illas, quæ monitionibus pramissis ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis, seu subtrahitis rebus ferri solent, à nemine prorsus præterquam ab Episcopo decernantur, & tunc non alias, quam ex re non vulgari, curaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ ejus animam moveat &c.*

Merentur observationem Tridentina hæc verba; siquidem eo ipso, quò monitoriorum disciplina non improbat, interea percipitur, eam esse mentem Ecclesie, ut quoniam in his agitur de excommunicatione infligenda, in qua nervus ecclesiastica disciplina consistit, non nisi sobriè, & maxima cum circumspectione eò sit deveniendum. Hinc in primis delictum, seu causa, ob quam monitoria impetrantur, certa esse debet, cap. 30. de testib. cogend.; Deinde opus est, ut de re gravi agatur, in qua scilicet non temerè indicta dici possit gravissima excommunicationis poena, cap. 5. cod. tit.; dicto cap. 3. in Concilio Tridentino. Præterea cavendum est, ut tùm demùm monitoria concedantur, cum alla ratione utilitatis illorum, quorum interest, consiliè faciliè nequeat; vulgaris enim est traditio, monitoriorum dis-

ci-

ciplinam extra ordinem indulgeri, à qua propterea sit abstinendum; ubi ordinaria suppedit juris auxilia, veluti cum legitimi supersunt modi probationum. Aliqua insuper observantur respectu ejus, qui petit, & respectu ejus, qui concedit monitoria, unde non adeo frequentia habeantur. Respectu ejus, qui petit, obtinuit, ut non ab alio peti; impetrarique possint, nisi ab eo, qui vel suam, vel suorum prosequitur utilitatem, aut utilitatem publicam, cujus curam quis ex officio gerat; eamque ob rem nec procurator generaliter constitutus eadem obtinere principalis gratia poterit, nisi instructus sit speciali mandato. Respectu ejus, qui concedit, caverunt Patres Tridentini, ut monitoria à nemine, præterquam ab Episcopo, concedantur; quod ita quidem intelligendum est, ut exciudantur Prælati Episcopo inferiores & Episcopo subiecti, non autem ut excludatur, aut Vicarius Episcopi generalis, aut Vicarius Capitularis Sede Episcopali vacante, aut alius quicumque ad id specialiter ab Episcopo delegatus; isti enim omnes Episcopalem ipsam, non propriam, & singularem jurisdictionem exercent. Quæsitum apud nostros fuit, an post Tridentinam constitutionem eadem facultas integra remanserit penes Prælatos, qui quasi Episcopali jurisdictione fruuntur, ab Episcopi jurisdictione proruis exempti, quales inter cæteros sunt Abbates, qui dicuntur nullius Diocesis? Ea recepta fuit in pluribus Provinciis, ac præsertim in Italia, Tridentini Concilii interpretatio, ut si ea facultate destituantur, quamquam in aliquibus Provinciis alia vigeat consuetudo, uti Pragmatici testantur. Quibus autem in locis Abbates nullius diocesis monitoria concedere nequeunt, usus obtinuit, ut non à viciniori Episcopo, sed à Sede Apostolica monitoria, quoties impetrari expediat, impentrentur. Ex receptis denique Diocesano moribus invaluit, ut ad Parochos spectet, monitoria promulgare in singulis Parochiis ex Ordinarii mandato, diebus festis, quibus major esse

solet ad Ecclesiam populi frequentia, & quidem pluribus successivè diebus, quousque deveniatur ad peremptoriam publicationem, nisi unica pro omnibus fiat, quod necessariò & palam exprimendum erit, cap. 9. de sent. exc. in 6., ex quo liquet, excommunicationis censuram monitorio infligendam non tam in crimen olim admissum indici, quam in contumaciam illorum, qui moniti Ecclesie non obtemperant. Quando verò dixi, diebus festis publicationem fieri, id velim ita intelligatur, ut excipiantur dies festivi maximè solemnes, in quibus ob insigne fidelium gaudium à feriendis excommunicationibus abstinendum est, ne tanti dies pœnæ gravissimæ illationis funestentur. Denique respectu causæ illud, ut dictum est, observandum erit, ut monitoria tantum concedantur ad indemnes servandos eos, qui postulant, non ad finem inferendam in criminali judicio pœnæ corporalis adversus reos, ne aliàs videatur Ecclesia acriorem de reis judicio publico sumendam vindictam promovere, & urgere.

Duæ sunt generales monitoriorum species; alia enim testes ad revelandum, alia reos ipsos ad damnum resarciendum adstringunt. Quæ hucusque dicta sunt, utriusque monitorio sunt communia. Commune etiam est, quod frequenter usuvonit, nimirum ut utrumque in monitorio sive adversus reos, vel consortes criminis, sive adversus testes, vel notitiam habentes, uno sententiæ contextu jungatur. Commune etiam est, in utraque specie lethalis peccati reos fieri, qui notationem contemnunt, & edicto non parent, nisi legitime impediatur, ne quod monitorio continetur, exequantur, cujusmodi sunt absentes, modo absentia non sit affectata, cap. 1. de constit. in 6., aut ignorantes, aut qui vel restituerent, vel revelare sine vitæ suæ discrimine, vel salutis periculo non possent, argumento cap. 60. de reg. jur. in 6. Sunt tamen singularia quedam in quibus utraque monitoria invicem differunt. Et primò quidem observatur, in

in monitorio ad finem reparationis damni edito contra reum censuram infligi eos à testificando insuper habito monitorio, qui probare, quod pandunt, argumentis nequeunt, argumento can. 27. caus. 2. quest. 7. Verum cum hujus canonis sententia ad accusatores, vel denuntiatores potius spectet, quorum onus est, quod in judicio deferunt, demonstrare; frustra ad eos trahitur, de quorum tantum testimonio agitur. Quamquam enim ipsi probare nequeant, quod pandunt, judex tamen ex illorum testimonio, præsertim si numero plures sint, argumenta, aut saltem probabiles conjecturas; ex officio deducet, unde constat de veritate. Sunt etiam, qui putant non teneri testes ad pandenda, quæ noverint, quoties delictum sit omnino occultum, id est, unius tantum, vel alterius conscientia teneatur, Abutuntur isti canone 18. caus. 2. quest. 1., ubi tantum statuitur, ne judex occultos delinquentes puniat. Abutuntur præterea capitulo 24. de accusation., ubi onus imponitur judici, ne contra quemquam procedat judicio inquisitionis, nisi publicè sit infamatus. Verum in proposito alia res agitur, quando monitoria ad cogendos testes non ed spectant, ut publica de reo vindicta sumatur, sed eò, ut indemnitati perentis prospiciatur. Alia autem monitoriorum disciplina inanis prope modum redderetur ob varias, quæ à testibus prætererentur excusationes; iis faciliè allegantibus, necdum constare de infamia reorum, quos sciunt aut furtum admisisse, aut dampnum intulisse.

CAPUT IV.

De usuris.

Huc referendus est titulus 19. libri 5.

Nihil est in hac rerum universitate adeo utile Reipublicæ, quod aliquando in Reipublicæ ejusdem dispendium detorquere nequiverit humana perfidia, eò etiam perniciosius, quò sub honesti imagine maleficium sæpius prodire curatur. Id potissimum evenit in amplissima commerciorum ratione. Publicam ista utilitatem fovet, & dum hominum utroque loco disitorum animos artissimo veluti fœdere jungit, non quidem incultam illam, & rusticam rerum societatem, quam in aureis sæculis Poetæ finxerunt, reducit, sed elegantiorē reddit, ac multò nitidiorē. Verùm nimius privati peculii amor, & rei familiaris plus æquo amplificandæ studium ita plures infecit, ut alii alios etiam beneficia prætexentes per dolum, & fraudem circumveniant. Providi quidem Legumlatores pactiones universas, atque contractus ad certas à nemine evitandas regulas exigere moliti sunt. Quis autem adeo acuto ingenio, tantaque prudentia inter homines agere unquam potest, ut occulta callidorum subterfugia perpetuò detegat, turpisque avaritiæ latebras investiget omnes, in quibus vitium perimat; præterea admissim consular, jura dando conventionibus singulis, quarum innumeræ formæ sunt & novæ in dies creantur, complicatæ tortuosis nexibus, inter quos vix scires, ad quæ pactorum genera referri plurima possent, nec nisi divinus additos, & imos nequitia recessus perspicuos faceret? Hoc ego velim, tanquam generale principium insidere, cuiusque mens est, de usuris, seu de usurariis pactioibus aptè adpositæque disserere. Improbata illa sunt naturali, divino, ecclesiastico, ac civili ju-

re, tanquam eæ, quæ humanam eventunt societatem, avaritiam nutriunt divitum, inopes, vel indigentes in extremum usque interitum adducunt, quem admodum perpetuò clamaverunt non solum sacri Evangelii præcones, sed & ipsi æthnicorum Philosophi. Interea tamen vix eradicari, & stirpitus avelli usurarum cupiditas potuit, quæcumque fuerit Sapientum sollicitudo; tanta enim prodierunt artibus callidorum hominum confictæ speciosæ honestarum conventionum formæ, quibus illæ tegeantur, ut dum passim vacatur usuris, ab usuris quisque alienus videatur, quasi turpitudine non in usura ipsa, sed in solo usuræ nomine inestet.

Quid plura initio persequor, quando vel in ipsa definienda usura non pauci laboraverunt, quorum aliqui speciosiorē ejus imaginem reddere, aliqui obscuris verborum ambagibus involvere, aliqui tam restrictè illius naturam pingere studuerunt, ut multiplices usurarias conventiones usuræ nota purgarent? Ego usuram definitio *accessionis sortis debita ex solo tempore*. Accessionis nomine jam olim usuram appellaverunt Imperatores in l. 12. cod. de usuris, & in l. ult. in fine cod. de jure dot., ex quo statim colligitur, quam solido jure sub infamiae poena constitutum fuerit, ne quis usuras usurarum exigeret, l. 20. cod. ex quib. caus. inf. irrog., l. 29. ff. de usuris, l. 26. §. 1. ff. de condit. indeb., cum regula sit, accessionis nullam esse posse accessionem, l. 15. ff. de usur., l. 9. ff. de magistrat. conven., l. 2. §. 5. ff. de administ. rer. ad civit. pertin., l. 15. §. 1. ff. de petit. hered. Dixi *sortis debita*; quamquam enim apud plu-

res invaluerit opinio, qua tantum in contractu mutui, sive in rebus, qua numero, pondere, ac mensura consistunt, functionemque recipiunt in genere suo, usuras admitti tradiderunt, aliò tamen nos trahere debent innumera, que prosunt, Romani juris monumenta, apertissimè demonstrantia, ad universos propè contractus, imò & quasi contractus, dixerim amplius, ad excusationes ultimarum voluntatum, sive legatorum, & fideicommissorum morosas præstationes, usuras accedere. Non equidem ignoro, ejus opinionis patronos dicere consuevisse, mutuū duplex esse, expressum unum, tacitum alterum, quod virtuale Theologi quidam appellaverunt, ac propterea, cum intueretur in variis hominum actibus usuras reverà posse versari, in omnibus tacitum quoddam mutuū, seu virtuale, contractum finxerunt, ubi ex. gr. emptor usuras spondisset necdum soluti pretii venditori, & similibus in casibus, quasi fingendum sit, pretium fuisse solutum ab emptore, & solutam pecuniam iterum ad emptorem reversam fuisse titulo mutui. Exinde autem nihil aliud meo judicio colligitur, quam de verbis tantum, non de re disputari, ac propterea me simpliciter rem explicaturum, dum latè usuras per varias contractuum species vagari profiter. At enim admissio tacito, ac virtuali mutuo, obsisteret æqua juris ratio; propterea quòd exinde proficisceretur, ut ex. gr. in damnum venditoris actio ex vendito ad exigendum rei venditæ pretium quæ est bonæ fidei, pereat, & loco illius conditio certi ex mutuo tacito, seu virtuali nata, quæ non nisi stricti juris esset, substituitur; & generaliter eveniret, ut simplicitas contractuum, & actionum universarum exinde proficiscerentur tot Jureconsultorum vigilis, & laboribus in lucem perspicuam edita, definitionis figuris offundatur. Postrema definitio usuræ demonstrant in eo consistentem, quòd creditor non alia

de causa amplius sibi solvi, & ultra debitum postulet, quam quia tempus aliquod à die contractæ obligationis ad diem solutionis præterlabatur. Quod quicumque considerat, statim intuetur, longè differre usuræ petitionem à petitione illius, quod interest, quemadmodum notabit Pomponius in l. 60. ff. pro socio; etenim id, quod interest, non intimè sorti cohæret, aut à sorte pendet, sed aliunde obvenit, videlicet ex certis adjunctis, in quibus creditor ipse versatur. Quid enim ex. gr., si venditor rei fructifera rem venditam tradat emptori ea lege, ut quousque emptor non solvat pretium, annum præster pensionem fructibus respondentem? Quid, si maritus dotis promissæ non datæ vice dotium obventionum annuum quid, vel menstruum, quantitatem legitimam non excedens postulet? In his, & in similibus casibus nulla usuræ nota inuretur, quòd non usuræ, sed ejus, quod interest, persecutio conceditur, cap. 16. de usuris. Eadem ratione Alexander III. ab usuræ nota liberavit eum, qui certas merces carius vendidit ob dilatam solutionem in illud tempus, quo pretium rei augeri solet, aliàs eo tempore non contracturus, dummodò fides bona interveniat, cap. 6. eod. tit. Præterea qui verba illa definitionis considerat, faciliè intelligit, sub usuræ nomine non venire certas poenas abs jure præstitutas, quamquam aliàs quandam usuræ speciem præseferre videantur, eamque ob rem improprie usuræ appellari soleant. Species proponitur in tutore, qui pupillarem pecuniam in suos usus convertit, aut in administratore pecuniæ publicæ, quam suam faciat, siquidem aut pupilli, aut reipublicæ nomine præter pecuniam debitam aliquid amplius petitur instar usurarium, quod tamen proprie usuræ non est; sed poena perfidia à lege imposita, l. 38. ff. de negot. gest., l. 7. §. 8., l. 46. §. 3. ff. de administ. & peric. tut., l. 9. §. ult. ff. de admin. rer. ad civit. pertin., l. 3. cod. arbitrium

tutela, l. 1. r. & sequentibus eod. de usuris pupillaribus, quemadmodum qui furtum passus est, civiliter agens adversus furem ex disciplina juris Justiniani sine usura vitio duplum, vel quadruplum præter rem furtivam poenâ nomine consequitur, l. 50. ff. de furtis; juncti etiam possunt §§. 23. 24. 25. 26. & 27. instit. de actionibus. Eadem ratione nullam usurâ turpitudinem invenio in specie legis 3. §. ult. ff. de annuis legatis, cum testator certam quantitatem legaverit, & quoad præstetur, in singulos annos certum aliquid; id enim non usurâ, sed *velut honoris*, Ulpianus rectè nominat, quòd partim ex liberalitate testatoris in legatarium, partim ex poenâ à testatore indictâ adversus gravatum tardius contra mentem testatoris solventem, rectâ profuit, non ex una temporis tarditate, quòd etiam post Justiniani constitutionem in l. un. cod. de his quæ poenâ nomine valeret in legato relicto poenâ nomine. Uno verbo: inter hanc, & præcedentes species nihil aliud interesse videtur, quam in prioribus poenam exhiberi legibus propositam, in posteriore poenam adparere indictam à testatore.

Sic explicata germana usurâ naturalis, jure concluditur, illam & naturali, & divino, & ecclesiastico, & civili jure improbari. Ut demonstrarent, jus naturale ab usuris abhorre, nonnulli tradiderunt, maximè repugnare, ex pecunia sumptu natura infructifera fructum percipi; item repugnare, fructus capi ex re aliena, qualis est pecunia credita, cujus dominium non creditoris est, sed debitoris. Sunt ista nimis subtilia argumenta, in quorum adspècto tantum liquet, eos, qui usurâ oppugnantur, nihil omisise studii, ut easdem insectarentur. Interea tamen illa facili negotio diluuntur, & primum quidem, si dicatur, fructus naturales maximè distinguuntur à civilibus, & pecuniam talem quidem esse, quæ natura fructum non pariat, civili tamen ratione & ipsam fructum edere, si exerceatur alte-

rum, si dicatur, usurâ à creditore periti non tanquam fructus rei credita in alium translata, sed tanquam præmium dilata solutionis, sive tanquam præmium creditoris, patiens per certum tempus se pecunia sua carere, quæ sanè à patronis usurarum passim adferri in hanc rem solent. Itaque aptiora, ac solidiora producenda sunt argumenta. Et quidem in primis observo, per usurâ equitatem, quæ contractibus omnibus inesse debet, lædi, dum pro minore credita quantitate sine causa major in debitum venit, l. 206. ff. de regul. jur. Et quando officia inter homines natura ipsa ciet ita, ut quod nobis non obest, alteri gratiosè præstemus; officia etiam hujus generis incivile est certo prædeterminari. Deinde observo, receptis usuris fraudem fieri commerciis utilibus inter homines ineundis, sive quòd divites usurarum spe illiciti ceteris contractibus, & proficuis artibus vale dicent, soli mutuo ad patrimonium amplificandum intenti, sive quòd inopes ad usurarum præstationem obstricti brevi facultatum jacturam facerent universarum, exinde autem proficisci, ut humana societas evertatur, & solis demptis exactoribus usurarum, ceteri ad extremam egestatem redigantur. Observo denique, naturam ipsam ab hominibus in societate positam postulare, ut industria sua, non otio, non desidia, nec sola inertis expectatione temporis rebus suis, atque utilitati familiari consulant, unde Romani nunquam passi fuerunt, ex solo tempore obligationem induci aut jus acquiri. Equis porò non videat, ita à natura comparata esse prædia, ut diligentia cultura fructus domino pariant, ita naturam acuisse hominum ingenia, ut editione rerum novarum sua omnia promoveant, ne aliàs per otiosam vitam vitia quæque foveantur, & latissimè serpent? Hæc Republica incommoda ex usurario fenore veluti à radice derivant, quando scilicet qui certas pecuniæ summas nacti sunt, eas credendo sub usuris

dum otio torpent, ab iis, qui laborant, fructus percipiunt, non de alia re solliciti, quam de exigendo, & quidem eam pecuniæ quantitatem, quæ sicut ab initio pactum est, certa perpetuò manet, sine ulla diminutione, & sine ullo sortis periculo. Istæ rationes fuerunt, quibus experientia accedente didicerunt & Philosophi, & legumlatores tantam luem detestari, & quoad fieri posset, è Republica eliminare, uti deduci potest ex Novella Justiniani 32. in principio, ex Julio Cesare lib. 3. de bello civili, ex Plutarcho in quæstionibus rerum Græcarum, & in Lucullo, ex Aristotele in lib. 4. ethicorum cap. 1., atque, ut alios bene multos omittam, ex Seneca in lib. 7. de beneficiis ita scribente: *Quid famus, & Calendarium, & usura, nisi humana cupiditatis extra naturam quæsitâ nominat?* Divino præterea jure, seu veteris, seu novi testamenti prohibitas usurâ esse testatur Alexander III. in cap. 4. de usuris, qui sanè respexit ad cap. 25. Levitici vers. 36., ad caput 23. Deuteronomii vers. 19., ad Psalmum 14. vers. 5. ad Psalmum 54. vers. 12., ad Psalmum 71. vers. 14., ad caput 18. Ezechielis vers. 13., ad caput 5. lib. 2. Esdræ vers. 7., & ad caput 6. Luca vers. 32. & sequentibus. Quid adjiciam juris ecclesiastici monumenta perenni Sanctorum Patrum in unam eandemque semper sententiam cõsentium traditione firmata, ut demonstrent, usurâ eodem jure damnari? Vel unus liber Ambrosii de Tobia quæstionem universam conficeret. Plura quoque extant apud Gratianum in causa 14. quæst. 3., & in toto titulo de usuris apud Gregorium IX., apud Bonifacium VIII., in recentiorum collectionum auctores. Nomine civilis juris non solum intelligo saluberrimas recentioribus sæculis editas à Christianis Principibus leges, quales apud nos habentur in lib. 4. tit. 34. cap. 14. Regiarum Constitutionum, aut quales continentur in Capitularibus Francorum, quibus media ætas regebat, & quæ passim fœnera-

ritias passionis detestantur; sed ipsum vetus jus Romanorum, quale apud nos superest ex Justiniana Collectione, in quo nihil extat, quòd usurariam præstationem probaverit.

In hoc sanè Romano jure passim judicatum est, ut multum laboris, & industriæ impenderet, siquidem patroni usurarum in eodem putaverunt, invenire se posse tutum opinionis suæ præsidium. Qui adversus usurâs pugnant in conspectu legum Romanarum, in varias partes distracti sunt. Fuerunt quidam, qui adnotarunt, in jure Romano, si non omnino ob improbitatem avorum hominum deleri usurâ poterunt, omnes tamen conatus adhibitos adparere, ut intra certos terminos coercerentur, quos nemo transgredetur, quasi Quirites contenti fuissent graviora damnare, insuper habitis levioribus, eadem ferè ratione, qua generaliter cautum est, in emptione venditione æquali pretio rem venditam appendi oportere, aliàs autem contractus illos damnari, & poenis legitinis subijci non expedire judicatum est, in quibus non gravis esset justæ æstimationis excessus, l. 8. cod. de rescind. vend. Mihi sanè, ut verum fatear, ad has incitas redigi argumentum minime placet, ut usurâ permissa, non probata Romano jure dicantur, exemplo pretii, quòd rei venditæ æstimationem paulisper excedat; etenim in pretio rerum utpotè admodum vago, nec satis certè definiendo, non eadem lance uti quisquam posset, qua uretur in restitutione certa quantitatis in obligationem deductæ, cujus definitio liquida est, & nullus est arbitrio obnoxia. Eo minus mihi placere potest injuriæ plena illorum opinio, qui scribere non dubitaverunt, usurâs Quiritium jure probari, insuper autem habendum esse jus illud, quòd in hac parte divino, & ecclesiastico (addere potuissent, naturali) juri adversetur. Non id est æqui boni facere sollicitudinem illam non mediocrem, qua curaverunt Romanorum legum cond-

ditores, ut, quoad fieri posset, usuria cupiditas coerceretur. Quidquod enim sæpè ac sapius rescriperunt illi, usuras utur minusculas & legitimam quantitatem non excedentes, non nisi post moram deberi, imò nec aliquando sufficere quamcumque moram, sed tùm demùm, cùm secuta fuisset judicialis interpellatio? Quidquod in contractibus stricti juris usuras utur minusculas non deberi, pluries decretum est, nisi pactum, aut stipulatio contractui adjecta fuisset, quamquam in contractibus bonæ fidei arbitrio iudicis ad resarciendum probabile creditoris damnum rigor juris relaxaretur? Secernatur id, quod interest, ab usura, & quoties Romanæ leges à creditore peti tantum posse, quod ejus interit, stabilivisse dicantur, Romanas ipsas leges à quacumque iniquitatis nota vindicabimus. Quis dubitat, creditorem persequi posse sine usuræ vitio, quod sua interest, quod interea caruerit ea quantitate, quæ sibi debetur, & quam si habuisset, aut damnum evitasse, aut lucrum percepisset? At verò quod interest, quis facile definivisse generali regula ob multiplices negotiorum, personarum, ac temporum qualitates? Quòd si locus in singulis quibusque causis dandus fuisset probationibus in iudicio edendis, inhumanum, aut incivile saltem videretur, creditorem illis obnoxium facere, quæ in hac parte admodum ardua forent, & quibus nemo experiretur, nisi pendendo secreta domus, & rei universæ familiaris; inhumanum alia ex parte videretur contra debitorem ex versutia creditoris id, quod interest, adeo latè extendi, ut miserum in modum debitor obrueretur ex sola allegatione creditoris, quemadmodum deduci potest ex l. un. cod. de sententiis quæ pro eo quod interest. Non salubrius profectò consilium in his rerum humanarum adjunctis capere decuit prudentissimos Legumlatores, quam ut certa annua quantitas sub usuræ legitimæ nomine definiretur, ad id, quod interest, de-

terminandum, quasi tantundem, nec amplius, interesse creditoris ut plurimum præsumeretur. Æquissimas legum sanctiones sequi debuerunt publici Magistratus, conscientia creditorum relinquentes, ut, si reverà nihil ipsorum interesset, à petendo indebito abstinere, quemadmodum reverà abstinere jussurunt eos, qui usuras per longum tempus non petentes, factò nihil sua interesse demonstraverunt; l. 17. §. 1. ff. de usuris. Hæc Romanarum legum interpretatio primùm ex eo probabilior redditur, quòd, uti prænotatum est, in contractibus bonæ fidei facilius quam in contractibus stricti juris, usuris locus concederetur, quod videlicet in prioris generis contractibus frequentius interesse solent creditoris, non differri solutionem; secundo ex eo, quòd modò centesimam usuram, quæ erant omnium maxima, modò centesimæ usuræ trientem, modò quincuntem, modò semissem singulis mensibus solvi potuisse, vel debuisse sciamus; quod non alia de causa variis vicissitudinibus obnoxium esse decuit, nisi quòd varæ essent temporum & commerciorum vices, ita ut modò magis, modò minus interesse potuerit creditorum, sortem sibi debitam consequi.

In conspecto saltem divinatorum præceptorum, & perennis Patrum Ecclesiæ traditionis, nemo ex iis, qui Christiani nomen sibi vindicatur sit, tantum audere posse videtur, ut usurarios quæstus non doceat evitandos. Verùm Græci schismatici primùm docuerunt, quodcumque lucrum ex causa etiam mutui jure percipi posse. Eos secutus Calvinus ad cap. 18. Ezequielis tradidit, ex mutuo usuras peti posse, dummodò non agatur de usuris immodicis, nec ab inope exigendis. Clarius Molinæus in tractatu de usuris postquam usurarium foenus non contra justitiam, sed contra charitatem exerceri statuerit, tres hominum mutuo accipientium gradus distinxit; videlicet pauperum emendicata stipe viventium, quibus non mutuum, sed elemo-

sy-

syna danda sit; indigentium, quibus cùm facultas sit certo tempore restituendi, concedatur mutuum sine usuris; & divitium, præsertim mercatorum, qui ex acceptione mutui facile patrimonium suum amplificent, à quibus usuræ rectè petantur. Usurarium hoc systema, quo tota usura improbitas consideratur respectu illorum, quibus pecunia creditur, nulla habita ratione credentium, plurimi ex hæreticis scriptoribus patrocinati sunt, inter cæteros Claudius Salmasius in libro de usuris, & in libro de trapezitico fenore; utinam autem eisdem nemo ex Catholicis subscripsisset. Istorum omnium argumenta speciosiora paucis expendamus. Ajunt in primis, ex datione mutui mercatoribus facta sub usuris publicam commerciorum utilitatem augeri, quatenus divites mercatores acceptis mutuis ingentiorum mercium copiam adferunt, quos æquissimum sit, trientem ex. gr. usurarium solvere, dum ipsi ultra centesimam lucrari commodè possunt; ac propterea non nisi temerè improbari contractum, qui & publicæ rei, & utriusque ex contrahentibus emolumentum adferat. Insuper addunt, permissio usurarium lucro, occasionem locupletibus exhiberi, ne otiosam pecuniam, & thesauri instar delitescerent possideant, unde avaritia foveatur. Usum quoque pecuniæ pretio æstimari debere tradunt, cujus rei argumento utilem esse usufructus in numerata pecunia constitutionem ex Romanis legibus demonstrant. Sunt præterea, qui dicunt, in mutuo dominium non transferri, eamque ob rem non repugnare, ut creditor de re sua fructus percipiat, quasi sub nomine mutui videatur quedam contracta pecuniæ locatio; alii autem, licet fateantur, transferri dominium rei mutuo concessæ in debitorem, eo ipso concludunt, quasi emptionem venditionem emergere, ita ut creditor jus emisse videatur certam quantitatem statuto tempore exigendi, & interea certas usuras. Quòd si æqualitas dati, & accepti semper esset servan-

da, observant ipsi, actum esse de commercio, & de mercatura inter homines, cùm nullus sit negotiator, qui tanti vendere rem venalem expositam velit, quanti ipse emerit. Quid plura? Nec sacram ipsi litterarum monumentis, nec Patrum ecclesiasticorum doctrinis parcunt. Proferunt in medium cap. 23. Deuteronomii, in quo, licet vetitum Judæis fuerit, ne fratribus pecuniam ad usuram darent ob singularem, & mutuum inter Judæos, quasi in eadem familia arctissima necessitudine junctos, exercendam charitatem, permissum tamen adparet, ut ab alienis, sive ab extraneis usura peteretur. Proferunt parabolam Evangelicam Matthæi cap. 15., Lucæ cap. 19., in qua objurgatus est servus à domino, quòd pecuniam usuræ causa nummulariis non concessisset. Explicant verba Christi Domini, Lucæ cap. 6. *Mutuum dare, nihil inde sperantes*, quasi consilium exhibebat ad perfectionem, non præceptum ad necessitatem salutis. Denique sanctorum Patrum dicta appellat populares declamationes; sive homilias ad abusum suorum temporum accommodatas, quibus avocarentur avari homines ab exigendis usuris gravissimis, aut à pauperibus, indigentibus, & quasi Sancti illi viri plus dixissent in æstu concionis, minus ab audientibus intelligi voluissent.

Prolixia nimis, & propemodum infinita disceptatio fieret, si aggregerem in præsentia singula hæc avarorum effugia, eademque accuratissima oratione refutarem. Opus esset in hanc rem integra tractatione, qualis tamen meo proposito minimè congruit. Sunt eximii Viri, qui hoc opus aggressi id egregiè perfecterunt, quorum operam hoc traducere supervacaneum est. Non verò id tacitus omnino præterire videar, duo generaliter dicam: Primum est, nullum esse ex modò objectis, quod Sancti Ecclesiæ Patres & apertissimè, & validissimè non confecerint. Cur igitur post confutatas à Viris sapientissimis ratiunculas, istæ iterum in medium proferantur? Id

ed

ed tutius observari oportet, ubi agitur de sacrarum literarum interpretatione; cum enim Verbum Dei scriptum ubi in obscuro adhuc delitescere videatur, illustrari debeat ex traditionibus Patrum, quae passim appellantur Verbum Dei traditum, quid conari quisquam possit eam interpretationem affingere divinis litteris, quae interpretationibus Patrum adversetur? Alterum est, nullum esse ex modò objectis, quod eadem ratione non commonstret, aut immodicas, aut ab indigentibus exigi usuras posse, quando tamen ex adversantium sententia & modicas, & à divitibus praesertim ex mercaturae exercitatione usuras exigi posse probatur, quemadmodum facile unicuique consideranti patebit. Quae obijciuntur de retentione domini in mutuo, de facta quadam pecuniae locatione, & conductione, vel de emptione annuae pensionis, de usu pecuniae pretio aestimabili, de utilitate, & mutuantis, & mutuatarum, aequè locum obtinent, sive usurae intra modicam quantitatem contineantur, sive istam excedant, sive usurae à divitibus, sive ab indigentibus exigantur. Paucis etiam adjicio, primò falsum esse, usurarias pactiones cum mercatoribus initas utrique contrahenti utiles esse; licet enim fortè ex prospero quodam eventu id quandoquè contingat, ferè semper tamen debitor in periculo est, quando creditor de lucro certus exultat; neque patitur aequitas, contractum celebrari, ex quo quis lucrum certò sit reportaturus, alter tantummodò damnus, ita ut etiam quo casu damnus in sorte contingit, semper ex parte unius ex contrahentibus lucrum esse debeat; secundò, alias esse rationes praeter mutuum usurarium, quibus occurrat avaritiae hominum, ne otiosam pecuniam in arca retineant, quales essent emptionum, & societatum contractuum aequissimi, quos sanè, ut valdè utiles reipublicae de commerciis sollicitae, abolere student, quicumque

probant usuras in mutuo; etiam homines antefecerunt certum lucrum incerto, ubi praesertim nihil operae, nihil laboris sit impendendum. Caveant autem qui ita ratiocinantur, ne dum horrent otiosam pecuniam, otium provehant personarum; nemo enim magis otio torpet, quam qui sub usuris indigentem pecuniarum sortem alicui credidit, securus perennium fructum, etiam si nullam prorsus industriam adhibeat; tertio usum pecuniae aliquando quidem pretio aestimari posse, id tamen proficisci ex extrinsecis adjunctis vel lucri cessantis, vel damni emergentis, uti Pragmatici loquuntur, non ex mera pecuniae detentione, quae una propterea usurarias pactiones licitas minime reddit, aut excusat; quarto non esse ferendam opinionem, qua tradatur, in mutuo non transferri dominium, quae sanè opinio formam contractus & gentium & Romano jure exhibitam vitaret; frustra autem venditionis emptionis speciem fingi posse, cum inter unum, alterumque contractum plurimum discriminis intercedat; quod in praesentia solertius investigare, nihil aliud esset, quam Jurisconsultorum egregiorum commentaria in hunc locum adferre, qui hanc rem elegantissimè aequè ac solide demonstrarunt. Quid inde sunt ista, quam quaedam pudenda ad elegantiam picta fraudis, & avaritiae simulacra? Quintò, plurimum differe inter varias negotiationum species, & pecuniam creditam; neque enim quod inter illas plus exigere, liceat venditori, quam emerit, licet etiam mutuantem plus exigere, quam mutuo dederit. Utar in hanc rem verbis Chrisostomi in homil. 38. ad cap. 21. Matthaei ibi Mercator dat rem, ut jam illam non repetat; iste autem, postquam fuerit, & sua iterum reperit, & aliena tollit cum suis. Tradit deinde Chrisostomus idem, abuti usurarum patronos exemplo locationis conductionis ita prosecutus: *Alicui dicit aliquis: qui agrum locat, ut agrarium recipiat, aut domum, ut pensiones recipiat, non est*

est similis ei, qui pecuniam dat ad usuram? Absit. Primam quidem, quoniam pecunia non ad aliquem usum disposita est, sicut ager, vel domus, sed ad pretium emendi, vel vendendi; secundò, quoniam qui agrum habet, arat eum, & fructum accipit ex eo, similiter & qui domum habet, usum mansionis capit ex ea. Ideo qui locat agrum, vel domum, usum dare videtur, & pecuniam accipere, & quodammodo quasi commutare videtur lucrum cum lucro; pecuniam autem si repositam in saeculo teneas apud te, nullum usum capis ex ea; tertio ager, vel domus, utendo veterascit, pecunia autem cum fuerit mutua, nec minuitur, nec veterascit. Quod denique pertinet ad opposita sacrarum scripturarum testimonia, nihil aliud ego repono, quam eam adhibendam esse interpretationem, quam Sancti Ecclesiae Patres tradiderunt; isti enim sunt sequendi divini juris interpretes. Porro cum in Deuteronomio dicitur, usuram ab alienigenis peti potuisse, id eodem jure statutum est, quod licebat Judaeis in alienigenas bellum inferre, & alienigenarum bona occupare ex Dei rerum omnium supremi Domini mandato. Haec interpretatio est Ambrosii in libro de Tobia cap. 15. ita scribentis: *Ubi jus belli, ibi etiam jus usurae; nec omittendum est, quod ait S. Thomas in 2. 2. quaest. 78. art. 1. ad 2. ita de Judaeis scribens: Quid autem ab extraneis usuram acciperent, non fuit eis concessum, quasi licitum, sed permixtum ad malum, malum vitandum; ne scilicet à Judaeis Deum colentibus, usuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant. Praeterea non satis aptum argumentum est, quod ex Evangelica parabola deducitur, praesertim quod ibi qui usuras exegisset, homo austerus dicitur, tollens, quod non possit, & metens, quod non seminavit. Quid aliud autem significare voluit Christus, quam se puniturum eos, qui otiosas animi dotes, & sine spiritali fructu inter res reliquissent? Item in illa Evangelica institutione mutuum dantes, nihil inde sperantes, postquam Evangelicam praecipit agnovere universi ecclesiastici Pa-*

tres, quos secutus est Urbanus III. in cap. 10. de usuris, locus minime superest alii interpretationibus. Quòd si Sancti iidem Patres vividius contra enormes usuras, aut contra usuras à pauperibus exigendas declaraverunt, non inde colligitur, usuras leviores, & exigendas à divitibus probavisse, quando passim demonstrantur universas detestari. Haec omnia generalia sunt, demonstrantia, omni jure improbari quocumque lucrum supra sortem ex uno tarda solutionis tempore exigendum. Ex quibus constat, lucrum supra sortem alia de causa, quae extrinsecus obvenit, accedens, nec usurae nomine contineri, nec usurarum poena subjacere, cum aliud sit, usuras, aliud id, quod ex quacumque causa interest, persequi. Planè id, quod interest, ad duplicem causam refertur, primò ad lucrum, quod amittitur, secundò ad damnum, quod patitur, l. 2. §. 81. in fine ff. de eo, quòd certo loco, l. 1. §. ff. rem ratam haberi, l. un. cod. de sentent. quae pro eo quod interest, dummodò de his saltem ex gravibus conjecturis constet, quae animum prudentis iudicis movere facile possint, & debitor de eisdem certior fiat, quo tempore id, quod interest, in pactionem deducitur, ne debitori denegetur facultas praeventendi omne creditoris damnus festinata sortis solutione, mora quacumque sublata. Queritur apud nostros, an usurarius censetur contractus, quo aliquid ultra sortem exigitur ratione periculi sortis à creditore suscepti, quemadmodum usurent in pecunia trajectitia, l. f. & passim ff. & cod. de nautico faenore. Videretur haec questio definita à Gregorio IX. in cap. ult. de usuris, ubi tanquam usurarius ejusmodi creditor iudicatur. Verum recentiores interpretes exinde contrarium potius deduxerunt, quod textum emendandum esse dixerint ita, ut pro illis verbis *usurarius est censendus, legerint usurarius non est censendus*; quam emendationem ed

vel maxime probaverunt, quod ea posita aptius jungantur cum præcedentibus verba illa subsequencia: *ille quoque &c.* cum particula *quoque* idem dicendum fuisse in priore, quod dictum est in posteriore rescripti parte, suadere videatur. Si de fine, & causa emendationis quaeramus; fortè æquissimam inveniemus; non enim videtur usurarius, qui aliquid ultra sortem stipuletur, quando sortis ejusdem periculo subiaceat. Verùm nunquam ego eò adduci possum, ut temerè, & contra omnium codicum fidem negativam particulam ex levissimis conjecturis adicientes laudem, ac sequar, præsertim ubi commoda ratio non possit Gregorianum rescriptum interpretari. Optarem equidem, ut integra Gregorii epistola ad nos usque pervenisset, quæ tamen cum perierit injuria temporum, vix remanente ejusdem simili fragmento, nec facillè jugendo, in cap. ult. de eo qui duxit, enitendum est, ut alia, nec adeo obscura via quaeratur. Unum ego vidi MSS. vetustum Codicem (extat in Bibliotheca Regii Taurinensis Athenæ) in quo pro illis vulgata editionis verbis; *ultra sortem*, legitur *contra sortem*. Hæc similitudo vocabulorum errandi occasionem præbere potuit Amanuensisibus vel Typographis, præsertim cum particula illa *contra* brevitas characteribus ita scribi soletur apud veteres *græ*; unde fieri potuit, ut littera *c* flecteretur in litteram *u*, & Nincola adjecta littera *c*, quæ legendum suadebat *con*, præsertim quod lineola illa in oblongam figuram producebatur, flecteretur in litteram *l*, & legeretur *ultra*. Si hæc lectio non contemnendo codice exhibita recipiatur, video, me difficultatem omnem evasurum. Susceperat quidem in se creditor periculum trajecticia pecunia, eaque de causa fuerat stipulatus usuras, non tamen in eo constitit; nam quo casu pecunia periisset, non quidem tantundem in numerata pecunia; sed certam rem æqualis fortè pretii sibi tradendam pecunia loco pepige-

rat, quemadmodum ego intelligo illa verba *contra sortem*. Quid sanè mirum, si is usurarius censendus esset, quoniam verbo tenus periculum pecuniæ se suscipere professus est, non reverà suscepit, cum non abesse videatur ab eo pecunia, qui loco pecuniæ rem non imparem sit adepturus? Quod si adhuc vulgata editioni insistere aliquis malit, non erit sine spe alterius commoda interpretationis. Videlicet dicere poterit, tum demum habere locum ita conceptam Gregorii sententiam, quam creditor usuras generaliter stipulatus fuerit, etiam eo finito tempore, quo pecunia credita nulli amplius periculo fuisset obnoxia, ea ipsa in specie, in qua Romani veteres locum amplius nautico fœnori non superesse scripserunt, l. 3. ff. de naut. fœni, l. 1. cod. eod. tit. Nauticum sanè fœnus non debetur, nisi ratione periculi; quousque autem non subest periculum, veluti navi adhuc in litore consistente, aut cum periculum cessavit, veluti navi ad litus jam reversa, cessat fœnus: atque eam ob rem si creditor occasione quidem periculi usuras stipulatus est, sed voluit etiam sibi præstari respectu temporis, quo periculum aut necdum subit; aut jam emensus fuit, usurarius est censendus. Fateor, nihil apparere in Gregoriani rescripto, ex quo hæc pactionis adjuncta colligantur; sed fatendum etiam est, nihil obesse, quominus hæc interpretatio assignetur; novum autem non est interpretibus ita in interpretatione fragmentorum consistere, ut, quando momentum integrum non extat, & fragmentum videretur parum congruere regulis generalibus, ea fingatur species, cui juxta generalia juris dogmata sententia cohareat.

Quum verò certos titulos contractui mutui extrinsecos non improbamus, quorum causa aliquid supra sortem recipi licitè possit, unà necesse est monere, cavendum esse quammaximè, ne tituli ejusmodi aut commentitii sint, vel

spe-

speciosa imagine sui ad illudendum legibus; aut iudicibus ab avaro creditore accommodati; neque enim audiendus esset pecuniæ creditor, si diceret, se pecuniam in emptionem rei frugiferæ impensurum, se societatem cum extraneo inturum, & similia, quando reverà nihil tale in animo haberet; quemadmodum nec audiendus esset, si diceret, se non mutuum sub usuris, sed venditiones, vel societates pactionibus adjectis cum debitore contrahere, quando reverà nihil aliud versaret animo, quam effugia, quibus usuras titulis quomodocumque protegeret. Hujusmodi sunt qui non mutuum pecuniam tradere se profiterentur, sed emere sibi annum pensionem solvendam; donec restituta pecunia redimatur. Hujusmodi sunt, qui vendunt alicui rem certam certo pretio, adjecto pacto, ut vel statim, vel post certum tempus minore pretio venditoribus retrovendatur, qui contractus *MOARTA* solet à morali Theologiæ cultoribus appellari. Hujusmodi denique, ut alios omittam, sunt, qui pecuniam societatis causa conferunt, & negotiatori tradunt, duobus pactis adjectis, primo ut pecuniam exercens in se periculum sortis recipiat concessa ipsi interea sperati lucri portione; secundo, ut idem pecuniam exercens pro incerto majore lucro, quod ex negotiatione speratur, certum annum lucrum minoris quantitatè daturum se spondeat creditori, quam speciem Theologi appellaverunt *Contractum firmum*, quasi ex contractu societatis, & duabus contractui adjectis pactionibus coalescentem. Quis enim in his omnibus, aut similibus, facillè non intelligat, simulatè omnia geri, & reverà nihil aliud agi, quam contractum mutui sub usuris.

Huc referendæ essent variæ illæ, quæ de censibus agi solent, disputationes. Quoniam verò earum definitiones, ut ut valdè utiles, non ubique, & generaliter proferri commode possent ob diversa Pontificum Maximorum rescripta,

diversos quoque Provinciarum mores, diversa denique rerum judicatarum præjudicia, satis erit, si summa hujus materiæ capita attingam ad exhibendum quandam censuum imaginem, non ad singula exprimentum illorum veluti delineamenta, quæ potius apud Pragmaticos consuetudinum testes unusquisque poterit investigare. Nomen census apud veteres varias habuit significationes; sed in proposito ad demonstrandas certas contractuum formas usurpari à recentioribus Jureconsultis debuit, & quidem adeo multiplices, ut quæ conventiones sub eo vocabulo veniunt, non specie tantum longè differre, sed etiam genere videantur. Reverà alium appellant censum reservativum, alium consignativum, & hunc modò realem, modò personale. Reservativum vocant, quoties aliquo titulo ad dominium transferendum idoneo res quæcumque pleno jure conceditur, reservata vel concedentis, vel extraneis gratia, certa in menses, vel in annos singulos præstatione. Hujus sanè contractus disciplina non incognita veteribus fuit, quamquam non haberet illi speciale nomen, proindeque actione præscriptis verbis statuta pensio in jure postularetur; l. un. cod. de rer. permut., junctâ l. 8. cod. de condic. ob. caus. dat., neque aliàs ecclesiasticis consuetudinibus improbatâ dici potest in conspectu capituli 6. de religio. domibus, etiam si fortè ageretur de re nec natura, nec civiliter fructifera, qualis esset pecunia numerata, dummodò in hac specie omnis obligatio certo tempore interea, quemadmodum usuvenire solet in censibus ad vitam seu debitoris, seu creditoris constitutis; neque enim ulla in eo videretur esse usura suspicio, cum nulla fingi possit sortis debite accessio, ubi sors nulla debetur; quamquam non inficias iverim, damnari posse contractum, quoties annua præstatio modum excederet, non quidem quòd tunc usurarius esset, sed quòd non servaretur æquitas, qua-

Aa 2

lis

lis omnia contractuum genera regere debet, ac moderari; quemadmodum nec inficias iverim, etiam damnari posse tanquam usurarium contractum, quoties pactum adiceretur de sorte quandoque restituenda; quid enim aliud tunc esset in hoc pacto, quam simulatio quadam mutui sub specie emptio- nis venditionis? Alia indoles est census, ut ajunt, consignativi, qui non ex re à creditore concessa proficiscitur, sed modò ex debitoris persona, modò ex debitoris re constituitur; unde aut personalis, aut realis vocatur. Sanè hujus contractus origo admodum recens est, & Romani juris institutoribus prorsus incognita, argumento legis ult. §. 1. ff. de contrah. empt. Census personalis dicitur jus ex certa pactione proficiscens, cujus vi qui sortem accepit, personalem omninò obligationem contrahit in heredes etiam transferendam, in annos, vel menses singulos certam præstationem solvendi, vel ad certum tempus, quo elapsa sors restituitur, vel ad tempus indefinitum, quousque nimirum sors minimè restituitur. Hanc census speciem, ut nonnulli putent improbatam tantum ex Pontificiis recentioribus constitutionibus, proptereaque adhuc recipi posse in iis Provinciis, in quibus eadem constitutiones promulgata non fuerunt; ego tamen arbitror, natura sua ab usura nota non esse alienam, proindeque, sicut antè constitutiones Pontificias, ita & post illas etiam in Provinciis, in quibus promulgata non sunt, licitam haberi nullo modo posse; etenim sub ea contractus specie verum mutuum cum pactione usurarum celebratum esse perspicuè intelligitur; quod adeo verum censeo, ut idem dicendum sit in censu, quem Pragmatici vocant mixtum, seu partim personali, partim reali; quando nimirum censui personali accessit ad majorem contractus obligationis firmitatem singularis alicujus rei hypotheca; siquidem ista accessio non immutat naturam personalis census,

quemadmodum nec pactum hypothecæ bonorum contractui mutui adjectum, naturam mutui, & personalem ex mutuo profectam obligationem transformaret. Census consignativus realis definitur jus percipiendi certum annuum redditum super rebus alienis. Hujus contractus forma incognita etiam fuisse videtur Romanis Jureconsultis; nisi dixeris, eam quandoque apud illos adumbratam sub quadam specie ususfructus, aut annui legati, l. 12. ff. de annuis legatis, l. 32. §. 7. ff. de usu & usufr. leg., jungere etiam possum legem 35. §. 1. cod. de donation. Quum autem primum frequentari cœpit iste contractus, disputationes acres emererunt inter Jurisperitos; num omninò ab usura nota dicendus esset immunitis? Sed post varias Martini V., Calisti III., Nicolai V., & Pii V. constitutiones dubitatio omnis evanuit, receptumque est, ut usura nota in contrahentes non inuratur; dummodo fraus omnis absit, & omnia ex bona fide gerantur. Quod ut eveniat, præ cæteris laudatus Pius V. anni 1568. 14. Kalend. Februarii edita famigerata constitutione certas præstituit regulas, quæ tamen non in omnibus Provinciis recepta fuit, imò neque in iis Regionibus, in quibus observatur, paratam in singulis articulis executionem invenit. Quicumque eam receperant, his veluti fundamentis consignativi realis census materiam ponendam scripsere, nimirum tradentes, non aliter censum contrahi posse, nisi primò interveniat sincera pretii numeratio ab emptore faciendâ tempore contractus; neque enim sufficere visum est, novationem præcedentis alterius obligationis fieri, ne alias simulationibus locus aperiat, & verbo tenus numerata pecunia dicatur, non reverà numeretur; adeo ut si vel minima quantitatis in pactum deductæ portio desit, ob individuum rei gestæ naturam totus contractus irritetur, quod ipsum dicendum est, si integra pecunia soluta dicatur, sed non

netæ numeratæ amplius pensæ fuerint, quam vulgò pendi consueverint: Secundo, nisi census onus super re immobili, vel saltem quæ velut immobilis à legibus habeatur, quæque natura sua fructibus, annuosve redditus, sive naturales, sive civiles possessori pariat, imponatur: Tertio, nisi bona censui supposita certis finibus circumscribantur, non generaliter designentur, eove minus obligentur universa alicujus bona, ita ut emptor annui census periculo subjacere debeat vel extinctionis, vel imminutionis annui ejusdem census, prout res supposita aut integra perit, aut imminuitur: Quarto, nisi liberum sit venditori quancumque voluerit censum redimere restituta pecunia, & rem suppositam liberam facere; non è converso liberum aliquando sit emptori datam pecuniam repetere. Quoniam verò in laudata Pii V. constitutione mentio facta non fuit annuæ quantitatis, hanc moderari consueverunt singulares regionum mores, ac statuta; alicubi enim besses, ita dixerim, usura permittuntur, alicubi tantum semisses, quas excedere minimè liceat quocumque prætextu, putà, quia emptor instrumenta contractus edi voluerit sumptibus unius venditoris, aut quia emptor stipularus fuerit, annuam pecuniam representari, aut quia emptor certa alia onera venditori imposuerit, quando tamen alias omnium hujusmodi onerum nulla habita ratio, aut compensatio fuerit in ipsa census constitutione. Non est omitendum, sicut gratia venditoris receptum est, ut res censui supposita possit liberè vendi sine solutione laudemii, vel alterius quantitatis; item ut nequeat annuus census augeri ex causa non soluti annui canonis, ne eo quidem prætextu, quòd canones non soluti datæ ab initio sorti adreverint, ita gratia emptoris receptum esse, ut cum res censui supposita venditur, emptor census habeat prærogativam, ut cæteris rem suppositam empturis præferatur, dummodò intra men-

sem ipse delibet, & ad emptionem deveniat. Isti autem census leges non omnes vim æqualem perpetuò habent, cum plurimæ dicantur ad substantiam census pertinere, aliquot inter accidentia recenseantur, contra quas propterea si pactiones fiant, contractus, pactionibus tantum detractis, consistat, nisi rescindatur auctoritate judicis certis in casibus, in quibus graviore usurarie voluntatis conjecturæ concurrant, præsertim cum pactiones non ex intervallo, sed ab initio adjectæ fuerint, aut cum jam fuerint executioni mandata. Frustrà generali regula singula à singulis secernere laborarem, etenim forma contractus, uti superius adnotabam, plurimum pendet hodie ex variis moribus Provinciarum, & in ea præcipuas partes habet prudens judicis officium, æstimaturi pro varietate adjunctorum, quid magis publicæ rei expediat, & cui semper illud præ oculis habendum est, ut juxta divinas, & ecclesiasticas leges obviam fraudibus usurariorum eatur.

Damnata etiam est usuraria fraus in fictis quibusdam permutationibus, aut translationibus pecuniarum, quæ *cambii* Pragmatici appellant. *Cambium* vulgò definitur permutatio pecuniæ cum moderato lucro camporis. Fit autem duobus modis, primo, permutando pecuniam unius cum pecunia alterius speciei, secundo, numerando in uno loco pecuniam; in altero loco restituendam: minutum illud vocatur & manuale, istud locale & per litteras. Quamquam autem in utroque *cambii* genere campori liceat intra certum modum aliquid exinde lucrari, non tamen id licebit, si contractus simulatè geratur, quando ex. gr. qui pecuniam concedit, verè animum mutui contrahendi sub usuris haberet, quemadmodum nec in specie *cambii* obliqui, quam exhibet Cardinalis De-Luca lib. 5. tit. de cambiis in summa parte 2. num. 16., & ex eo Benedictus XIV. in lib. 10. de Synodo Dicecesana cap. 5. num. 8., hoc pro-

posito exemplo: Titius indigens mille aureis, mutuos eos perit à Cajo, qui cum consueverit negotiari, & negotiatione pecuniam suam augere, renuit indulgere petitioni Titii, à quo ratio- nem mutui nihil potest exigere: quia verò Titius Cajum urgere non cessat, res inter eos in hunc modum componitur: Titius mutuos accipit à Cajo præditos mille aureos, neque mutui causa, quidquam se Cajo, ultra sortem, solutum promittit: ut tamen Cajo damnum rependat, quod ex dato mutuo subit, dat ei facultatem, æquivalentem pecuniæ summam, sive à seipso, sive ab alio per cambii contractum accipiendi, eamque ad negotiationem destinandi, simulque Titius se obligat ad solvendum Cajo, donec ei mutuum restituat, quidquid ratione cambii impendit, aut impendere deberet, si prædictos mille aureos à campore accepisset. Quandoquæ etiam ipsemet Titius mutuarius assumit sibi onus, cambiis negotiandi tantam pecuniæ summam, quantam mutuum accepit à Cajo, in commodum tamen, & utilitatem ejusdem Caji, cui quotannis solvit, quantum ex cambiis lucratur, aut lucrari posset, donec ei mutuum restituat. Sunt istæ ut plurimum usurariorum fraudes, quibus contractus mutui pallio quodam obducitur, ut honestum appareat, quod inhonestum est, & ex turpi avaritia proficiscitur.

Ut pauperum hominum inopiæ op-


portunius consulere, neve alias illi ab avaritia mutuantiis premerentur, pluribus in locis recentioribus sæculis erecti sunt *Montes*, ut vocant, *pietatis*, quos inter loca pia jure recensuit Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 8. de Re- form., ex quorum institutione factum est, ut indigentibus pecunia crederetur, datis pignoribus, sub ea lege, qua si post certum tempus pecunia non restitueretur, venderentur pignora, ex quorum pretio pio loco satisfaceret, residuum debitoribus concederetur. Quemadmodum verò laude dignissimi sunt horum Montium institutores, atque custodes, quoties debitores nullam aliam contrahunt, quam restituendæ sortis obligationem, ita statim & sine discrimine damnandi erunt, qui ea lege in creditum iri ab indigentibus voluerunt, ut quousque non restituant, in annos, vel in menses singulos aliquid ultra sortem tribuant, nisi nihil esset, aut insuficiens, quod in alendos loci pii administratos foret conferendum. Cæterum in hac re maxima opus est prudentia, ne fortè contingat, quod probum esset, sub pietatis specie usuris vacari. Hinc in multis Provinciis receptum est, ut ne prætextu quidem administratorum alendorum aliquid ultra sortem exigatur inconsulta Apostolica Sede, quemadmodum refert idem Benedictus XIV. in dicto lib. 10. de Synodo Diœcesana cap. 5. num. 2.

PARS

PARS SECUNDA DE MODIS, QUIBUS AB ECCLESIA REI CRIMINUM COERCENTUR.

DISSERTATIO PRIMA ET PROOEMIALIS.

GENERALIA PRÆCEPTA TRADUNTUR DE MODIS, QUIBUS ECCLESIA UTITUR IN REIS CRIMINUM COERCENDIS.

uos in officio minimè continet virtutis amor, aut timor divinæ vindictæ, ar- cere juvat à maleficiis, propositis ab homine pœnis, quemadmodum aiebant Patres Aquisgranensis Concilii anni 816. cap. 13. Pro- videri mater Ecclesia, quæ sicut solvendi, ita & ligandi facultatem à Christo accepit, tribus modis consuevit in malos animadvertere; primò penitentis, secundò censuris, tertio pœnis per quas, quasi per diversos, alios aliis terribiliores coercitionum gradus, Deo simul, & Christianæ republicæ satisfaceret. Uti enim tres sunt delinquentium conditiones, quorum alii sincero dolore correpti spontè confitentur admissum, ad legitimam peccatorum expiationem sine fraudi parati; alii contumaces corripienti Ecclesiæ interea obstantes, de quibus tamen necdum deposita est probabilis spes futurum brevi, ut respiciant; alii denique pertinacissimi & pugnaces in crimine perseverantes, sublata probabili spe conversionis; diversæ similiter sunt eorumdem coercendorum rationes. Ad-

versus primos penitentis, adversus postremos pœnis regulariter Ecclesia animadvertit. Dico regulariter; etenim aliquando, aut ubi horror gravissimorum quorundam criminum, aut ubi exterior pol- litiæ rerum optimè gerendarum asperiorum disciplinam postulare videtur, statim admissum crimen non penitentia solum, sed & censura, imò nec censura solum, sed etiam pœna persequitur, quamquam tunc pro bona penitentis adfectione, ad absolvendum deinde, vel dispensandum faciliorem se, ac leniorem exhibeat.

Gradus isti ferè ignoti fuerunt publicorum judiciorum, & meri imperii exercitoribus. Cum enim civiles Magistratus ad regendam rempublicam præfecti, primum ratione delictorum non in levia quæcumque peccata, sed tantum in atrociora crimina animadvertere, legibus jussi sint; deinde ratione delinquentium personarum non tam corrigere reos, aut emendare, quam vindictam de admissis sumere ad satisfaciendum lææ republicæ, & reparandam